



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**R. P. Adami Contzen E Societate Iesv, SS. Theol. Doct.
Commentaria In Qvatvor Sancta Iesv Christi Evangelia**

Contzen, Adam

Coloniæ Agrippinæ, M.DC.XXVI

Vers. 37.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-82999](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-82999)

clatorio, irritatorio, obsceno? Dictionem *ἀργόν* aliqua exemplaria omittunt, alia eius loco substitunt, *προνή- γον*, *malum*: Verum exemplaria plerumque habent *ἀργόν*, *ociofum*, & ita omnes interpretes, vsq; Ecclesiae vt in- sanum sit velle mutare. Possent quidem Pharisei ex se coniecturam facere quanti Christo facta fuerit, cū ipsi admoniti tam atrociter sciant: quod hodie etiam fieri videmus; si enim diuitem aut magnatem verbulo offendas, minimum eius vitium, & conspectissimum reprehendas. *Propterea ingentes sunt inimicitiae*. Illi vero se impune maledicere pauperibus posse putant.

Quid verbi
ociofum.

§. 2. Verbum ociofum est, quod nullum hone- stum finem habet nec profertur, vt vel pro fit vel ob- sit, vel proximo, vel loquenti, nec Dei gloria in eo quaeritur: Tertull. de patientia, vana & superuacua colloquia vocat.

§. 3. Hoc verbum in extremo die iudicabitur, & poena dignum censetur: quia malum est, cum nec ex natura sua, nec intentione dicentis in bonum finem dirigatur. Ociofa verba reprobis aeternum puniuntur, aliorum, quae remissa non sunt ipso terrore iudicii imminenti, in illis qui viuunt:

Non saluat
sola fides.

§. 4. Non solum factorum, sed & dictorum red- denda ratio. Quomodo igitur fieri potest, vt sola fides reddat securus? fideles etiam ociofa verba proferunt, igitur & de illis ratio reddenda est.

Esse venia-
lia peccata.

§. 5. Bellarminus l. 2. de amissione gratiae & statu peccati c. 9. Hinc probat esse quaedam peccata venialia: De quibusdam peccatis mitius scriptura loquitur quam de aliis vt Matth. 12. de omni verbo ociofo rationem reddent: de aliis ibunt in ignem aeternum, si verbum ociofum miles, milles ignem aeternum meretur, si vnus verbi ociofi minima cogitatio tantum est facinus, & mirum sit propter eam totum mundum non funditus euersum, Cur non etiam dixit Dominus, ob omne verbum ociofum homines proiciantur in tenebras exteriores?

„ Obicit Pareus. [Causa est, cur mitius loquatur
„ scriptura, non venialitas, sed ad alta inaequalitas. Quia
„ non poterunt de vno rationem reddere, ibunt ergo in
„ ignem aeternum.]

Respondeo. Iam Beza istam causationem praecidit, si enim tam graua; scriptura mitius loquens decipit. Rationem reddere, & damnari immani distant interuallo. Si ociofum verbum (inquit Hieronymus) quod nequaquam aedificat audientes, non est absque periculo eius qui loquitur, & in die iudicii redditurus est, vnusquisque rationem sermonum suorum, quan- to magis vos qui opera Spiritus S. calumniamini? neque si rationem reddere non poterunt, ibunt in i- gnem aeternum, sed pro ratione delicti punientur, non omnis in ratione error inimicum Deo facit, nec ita sentit Deus, vt alioqui amicum, & vera caritati im- morientem ob verbum ociofum aeternum abdicet, & inferorum cruciatibus mancipet.

VERSUS 37.

*Ex verbis enim tuis iustificaberis, &
ex verbis tuis condemnaberis.*

QUESTIO I.

An ex verbis iustificemur & condemnemur?

Verba ius-
tificatio-
nis & da-
mnatio.

§. 1. Magnam verborum rationem ducendam esse, Christus terribili illa sententia docuit. Nam ex verbis veris, sanctis iustificabimur, ex impiis, male- dicis damnabimur. Quidam putant Phariseos verbo- rum peccata non aestimasse. Quod hactenus verum puto, vt sua impia & maledica verba in alios patui pe- penderint, non autem, vt in genere negarint, blasphe- mias, obreptationes, maledicta, non esse peccata;

Christum enim de blasphemia aliquoties accusari. Tertullianus contra Marcion. l. 2. c. 26. *Ex ore tuo*, habet, & hanc doctrinam confitentium delictorum in Caino initiatam, & nobis exemplum condi- tum esse docet.

Martinus Delrio etiam aduersariotum iudicio do- ctissimus, dum exponit illa verba: *Mors & vita in manu lingua*, hunc etiam locum recte adiungit. *Mors & vita in manu lingua, hoc est, in arbitrio, potestate, & vsu lingua, si bene voles vti, id tibi, hic & in altero saculo proderit, si male, saepe hic, semper ibi futurum exitio*. Nonne Christus Dominus asserit: *Ex verbis tuis iustificaberis, & ex verbis tuis condemnaberis* Matth. 12. 37. Et Iacobus frater Domini asserit ex ipso bene- dictionem & maledictionem procedere Epist. canon. 3. 10. supra 13. 2. de fructu oris sui homo satiabitur bonis.

QUESTIO II.

An verba, non sola fides iustificet?

§. 1. Ita Christus pronunciat, si igitur magna sit fides, mala autem verba, iustitiam tollent, damnatio- nis reum facient. Itaque calumniatorem non seruabit sola fides, ex verbis enim suis condemnabitur. Beza respondere conatur. [Iustificaberis *δικαιοσύνη*, id est, absolueris. Opponitur enim *κατάδικα* *ἐδωκεν*. Itaque inepti sunt, qui ex hoc loco & similibus conantur o- perum iustitiam (id est qualitatem, qua in nobis co- ram Deo iusti sumus) stabilire: quum iustificati hoc lo- co non significet iustum fieri, sed iustum declarari. Di- uersum autem est illud ex quo iusti sumus, ab ipsius iusti- tiae testimonio: & Paulus praeteritum ex tota scriptura testatur nos, quum in nobis iusti non simus, in Christo tamen (qui est iustitia nostra) per fidem apprehensos, iustificari, id est pro iustis censeret ac proinde absolui.]

Respondeo: Agi hic de vera absolutione, quae in extremo die iudicii, coram Deo, teste & iudice Deo, qua quidem in re omnes conuenerunt omnino. De- inde exponendum est iustificari vel iustum fieri. Vel iustum a Deo iudicari, qua de re iam non disputo, vt verò obtineam quod isti nolunt, ex eorum eos inter- pretatione conuincam. Iustificari aiunt, iustum pronunciat, cui opponitur condemnari. Deus vero non ex sola fide iustum pronunciat, sed etiam ex verbis, sic- ut nec ex sola infidelitate condemnat, sed etiam ex verbis, vt patet ex Christi verbis discretissime prolatis. Non ergo ex sola fide iustificat; sed etiam ex verbis nam iustificare aiunt esse pronunciat iustum.

Nec ad rem est quod ait Beza, diuersum esse id ex quo iusti sumus ab ipsius iustitiae testimonio. Neque enim nos hoc controvertimus. Quis enim nescit, aliud esse pietatem, aliud testimonium pietatis. Sed hoc virgemus, inrefragabili aeternae veritatis testimonio, nos declarari iustos ex verbis. Hunc enim in modum ar- gumentamur. Ex quo nos Deus declarat iustos, ex eo iusti sumus, ex quo declarat iniustos, ex eo sumus iniusti. Ex verbis nos declarat iustos, vel iniustos, ex eo ergo iusti sumus vel iniusti. Nec respondere possunt; Ex verbis nos censeret quidem iustos, sed non esse: si enim dem enim imputari pro iustitia. Hae enim responsio di- pueriliter in se ipsa impingit, seque elidit. Si enim ex verbis iusti censetur, non ergo ex sola fide, sed ex aliis quo opere. Illi autem ex sola fide nobis imputari iusti- tiam contendunt, nec nos censeret coram Deo iustos, nisi ex sola fide. Imo opera omnia esse peccata morta- lia, non igitur ex illis iustificari nos posse. Ideo negant nos ex operibus esse iustos, aut censeret iustos. Verba autem, cum de operum iustificatione disceptant, et- iam operum nomine comprehendunt.

Hinc apparet quid Christo opponant; ille ait. Ex verbis tuis iustificaberis. Illi vero; Ex nullo peccato mortali vel re ipsa iustificaberis, vel iustus a Deo de- claraberis. Verba, quantumuis sancta, sunt peccata morta-

QVÆSTIO I.

An non aliud signum quam Iona Prophetæ datum?

§. 1. Generatio *μοιχαλῖς* adultera vocatur, ut Isa. 57. Vocantur adulteri qui à Deo deficiunt, idem etiam dicuntur filii alienæ: *בְּנֵי נָכָר* *beni nachar*. Et si enim filii Abrahæ, & hæredes ex fœdere censebantur, quia tamen degeneres, in fide Abrahæ non steterunt, quasi illegitimi hæreditatis excusandæ iure priuantur. Beza adulterinam vocat, patetque degeneres esse, & spurios, non adulteros. Equidem non negari vtrumque de illis dici verissime. Verum *μοιχαλῖς* idem quod *μοιχὰς* adultera. & Syrus *מְזַנְנִים* *mezzenim* adulterat, sic & Chald. Prou. 30. adulteram significat.

Cur adulter
ra natio.

§. 2. Plura in posterum signa fecit: Verum non dabitur signum, de cælo, quæle ipsi pocebant. Marci 8. 11. Et exierunt Pharisei, & cœperunt conquirere eum eo, quærentes ab illo signum de cælo, tentantes eum: & Luc. 11. 16. Et alii tentantes, signum de cælo quærebant ab eo. Ceterum igitur genus signi petebant, quod ipse negabat. Nam tonitrua, & fulgura, & pluvias facilius tam calumniari poterant, quam sanitates & curationes.

Signum de
cælo petunt.

§. 3. Promittitur quidem signum Iona, sed comparatio in eo fit, quod Iona & filius hominis tribus diebus futuri sint hic in corde terræ, ille in ventre ceti, quod non est de cælo signum. Duæ responsiones dari possunt. Nam negari omnino signum de cælo: dicere possumus, & dari signum de terra, vel sane etiam in Christi passione, sepulturaque signa de cælo data esse; Nam sol obscuratus est, tenebræ factæ sunt, angelus lapidem remouit cælo veniens.

Quidam interpretantur, non dandum signum ad iniquam eorum postulationem. Sed Christi benignitate, superbe enim & impetiose, quasi debitum signum poscunt. *Volumus à te signum videre*, Iona ipse signum fuit, & Niniuitis historiam casus sui retulit.

VERSUS 48.

Sicut enim fuit Iona in ventre ceti tribus diebus, & tribus noctibus: sic erit filius hominis in corde terræ tribus diebus & tribus noctibus.

QVÆSTIO I.

An filius hominis tribus diebus & tribus noctibus fuerit in corde terræ?

§. 1. Cor terræ non esse sepulchrum: Id enim in petra excisum in superficie terræ constitit, multi sentiunt. sed potius infernum, ubi lymbus patrum constitutus est, ille enim prope inferos fuit, hoc est centrum terræ. Multi tamen sepulchrum fuisse putant.

§. 2. Ad passionis expositionem proprie pertinet. Quia tamen difficultas hic mouetur, solui etiam debet. Constat sane non tres integros dies aut noctes *valis* etiam fuisse in sepulchro, & consequenter nec animam in noctem cœlymbo. Post nonam sepultus est feria sexta, die Dominico mane resurrexit. Per synecdochen itaque tres dies nominantur, quia aliqua parte dierum in sepulchro fuit; postrema parte feriæ sextæ integro die Sabati, initio diei Dominicæ. Ea quidem ratione de diebus res facili explicatu est. De tribus noctibus maior est difficultas. Nulla enim nox alia inueniri potest, quam ea quæ intercedit inter diem feriæ sextæ & sabatum,

Y

batum,

portalia, non igitur ex illis iustificaberis, vel re ipsa vel iudicis sententia.

§. 1. Aliud etiam effugium Caluinus inuenit. Iustificari nos ait ex dictis; quia purus sermo nos absoluit ne deprehendatur in lingua nostra improbi.

Non est obscura de prauo scriptoræ, qua tamen sua hæretes Caluinus torquet. Non enim purus sermo nos tantum absoluit, ne deprehendatur lingua improbi, sed etiam silentium; sermo igitur purus absolutionem meretur, non modo amolitione sermonis mali, sed etiam aliquo suo bono, ex quo iustificamur. Deinde quis sermo purus adeo esse potest, ut absoluat nos ne lingua deprehendatur improbi, cum ex hæreticis blasphemis Caluini animum, omnis sermo purissimus, purissime prolatus millies millies ignem mereretur æternum; pugnat igitur secum & segetes suas exurit hæresarcha, alter hac de re alii sentiunt. Chytreus, bona verba & salutaria dicentem præmiis ordinandam proficitur.

§. 2. Quod vero Musculus in locis communibus de iustificatione verba non reddere sed declarare iustum, vel iniustum, falsum est. Nam verba iusta, plena salutis loquentem iustum, amplius iustificanc. Verba blasphemica non declarant modo, sed omnino reddunt iniustum, adeo ut nec ipsos Phariseos tam delite improbos fuisse putem, ut calumniis reddi homines iniustos negarent.

VERSUS 38.

Tunc responderunt ei quidam de scribis & Phariseis, dicentes: magister, volumus à te signum videre.

QVÆSTIO I.

Cur signum querunt?

§. 1. Impudens & maligna signi postulatio fuit. Quasi hæcenus nulla edi disse. Itaque omnia vetera in dubium vocant. Nouum aliquid, quale fuit Moyses, Samuelis, Helix exposcant. *ἑλεγον* volumus Beza verum velimus; causam addit, quod volumus, nimis imperiose dictum videtur. Magna illi cura est, ne superbissimi hominum imperiose egisse videantur, adeo ut ea causa Spiritum sanctum corrigendum putet.

§. 2. Melanchthon signum certitudinis de salute eos quærisse putat. Signum, inquit, quærimus, qui certi esse volumus de salute nostra, ut solet tentatio prædestinationis, ut sicut vulgari etiam omnium affectus quod est blasphemica.

Omnia scilicet certitudinem illis sonant mirum ni Caluiniani fuerint. Non petiisse signum certitudinis de sua salute ex eo constat, quia tentantes quartunt. Deinde signum quærant, non quo testetur eos iustos, fideles, electos esse, sed qua probet se Messiam esse. Nam id ex textu constat, à Christo signum electionis quomodo peterent, qui eum enim ut veneficum perdere capiebant, qui non ignorabant se ab eo pro improbitatis haberi? Qui Dei ignatum, legi inimicum esse putarunt? Deinde quale signum prædestinationis vnum omnibus, an singula singulis?

VERSUS 39.

Qui respondens ait illis, Generatio mala & adultera signum querit: & signum non dabitur ei, nisi signum Iona Prophetæ.

Adami Conzen in Euang. Tom. I.